

alie persone; immo si quis quidpiam mali diceret de aliquo ciue nostro, toto posse excusationem facietis pro eo, ipsam semper fidem profitendo; nec contra facere presumatis. Preterea vos per vos, nec per aliam personam procurabitis, nec recipietis aliquid in vestri vtilitatem, nec alicuius alterius specialis persone; sed tantummodo facta nostri Communi vobis commissa. Et hys contenti eritis, et hec sub poenis, in parte capta contentis, vid. lib. 25 par. pro quolibet, et infamie, que sic intelligatur, quod qui fecerit vltra commissa, aut contra commissa, non possit esse Iudex, testis, nec in aliquo publico officio, et nihilominus per eum impetratum vel emptum deueniat in commune. De omnibus suprascriptis plenissime informati, et preterea in omnibus supradictis pro posse procurabitis, sicut melius et vtilius discretio vestra cum sollicitudine omni, quod nostrum sortiamur seu habeamus intentum. Ad alia, ad omnia interrogata respondebitis reuerenter, prout cognoueritis conuenire honori regio et statui nostro; et quecumque videritis conducere ad bonum statum et commodum nostre ciuitatis et communitatis, procurabitis obtinere pro posse. Date die XIX. Januarii et sigillate, Anno MCCCLXXXVIII.

Lucius. Memorie di Traù p. 336 seqq.

CXVII.

Anno 1395—1402. Posonii.

Sigismundus Rex Ludovici Regis privilegium, sub Nro. XCVIII. adductum, confirmat.

Nos Sigismundus Dei gratia Rex Hungarie, Dalmatie, Croatie etc. Sacrique Romani Imperii Vicarius Generalis, ac Regni Bohemie Gubernator. Memorie commendamus per presentes, quod Magister Paulus de Zyrinio in sua, ac universorum Nobilium Regni Nostri Sclavonie ad Nostram veniendo presentiam exhibuit Nobis quasdam Litteras Nostras patentes, priori Secreto Sigillo Nostro consignatas, super nonnullis Libertatum prerogativis eorundem Nobilium confectas et emanatas, tenoris infrascripti, supplicans Nostro culmini, suo et Nominibus, quibus supra, prece humillima et subjectiva, ut easdem Litteras Nostras de verbo ad verbum presentibus Litteris Nostris patentibus transcribi et transumpni facientes, sibi, et predictis Nobilibus Regni Sclavonie concedere dignaremur, Juris eorum ad cautelam, quarum tenor talis est. Nos Sigismundus, Dei gratia Rex Hungarie, Dalmatie, Croatie etc., Marchioque Brandenburgicus etc., memorie commendamus tenore presentium significantes quibus expedit universis. Quod Magister Johannes, filius Chupur de Monozlo, et Stephanus de Athyna in personis universorum Nobilium Regni Nostri Sclavonie ad Nostre Maiestatis venientes conspectum, Nobis significare curarunt, quomodo Serenissimus Princeps olim fe-